



De vita auctoris *Heinrich von Kleist*

A.1777 Henricus de Kleist a.1777 Francofurti ad Viadrum natus est filius gentis praefectorum militarium Borussicae.

A.1792-1799 Henricus fuit praefectus militum exercitûs Borussici.

A.1799/1800 munere militari finito idem auctor studuit disciplinis physices et philosophiae pernoscendis.

Solitariam vitam cum praeferret communi, animo inquieto nunc huc nunc illuc itinera faciebat. Itaque idem poeta vicissim vixit in Helvetia et in oppido *Ossmanstedt* et Vimariae et Parisiis.

A.1805/6 Kleist fungitur quodam munere Regiomontani magistratûs arationes administrandi, qui dicebatur „*Domänenkammer*“.

A.1808 Dresdae una cum Adamo Müller condidit commentarios periodicos, q.t. „Phöbus“.

A.1810 Berolini edidit „*Vespertina Folia Berolinensia*“ („*Berliner Abendblätter*“)

Henricus quamvis maxime studeret suis operibus summa cum arte scriptis, eadem a lectoribus suae aetatis parum bene accepta sunt. Necnon idem auctor spe deceptus est, quod civitas Borussica non talis facta est, qualem factum iri speraverat.

Cum his tum aliis causis Henrici animus tam vehementer depressus erat, ut idem a.1811 prope Bostanium (*Potsdam*) pistolio mortem sibi conscisceret.

Kleistii opera

dramata: „*Die Familie Schroffenstein*“ (i.e. De gente Schroffenstein, tragoedia, a.1803); „*Amphitryon*“ (a.1807); „*Penthesilea*“ (tragoedia, a.1808); „*Robert Guiskard*“



(fragmentum dramatis, a.1808); „Das Kätchen von Heilbronn oder die Feuerprobe“ (i.e. Catharinula Hailprunnensis sive obrussa“, a.1808); „Der zerbrochene Krug“ (i.e. Urceus diffractus, comoedia, a.1811). Scripta postuma a Ludovico Tieck a.1821 edita; „Die Hermannsschlacht“ (i.e. Proelium Hermanni, a.1808); „Prinz Friedrich von Homburg“ (i.e. „Princeps Fridericus de Homburg“, a.1809-11).

fabulae novellae: „Das Erdbeben in Chili“ (i.e. Terraemotus Chiliensis, a.1807); „Die Marquise von O.“ (i.e. Marchionissa de O., a.1808); „Michael Kohlhaas“ (partim impressa a.1808, tota in „Erzählungen“, i.e. narrationes, a.1810/11, 2 tomi; ibidem praeterea: „Die Verlobung in Santo Domingo“, i.e. Sponsalia in Insula Sancti Dominici facta“; „Das Bettelweib von Locarno“, i.e. Mulier Locarnensis mendica; „Der Findling“, i.e. Alumnus; „Die heilige Cäcilie oder Die Gewalt der Musik“, i.e. Sancta Caecilia sive Vis musicae; „Der Zweikampf“, i.e. Duellum; - „Anekdoten“, i.e. Anecdota, in Vespertinis Foliis Berolinensibus („Berliner Abendblätter“) publicatae, „Abhandlung über das Marionettentheater“, i.e. Tractatus de theatro neurospastorum, a.1810).

anécdota quid sit.

Anécdota est genus narrationum, quod spectat ad eventum in vita alicuius hominis factum, qui sit memorabilis aut optime congruat cum eiusdem hominis indole ac moribus. Anecdota non satis valent ad animum lectoris nisi sunt brevitate totiusque ductûs mucrone (i.e. Anglice *point*, Francogallice et theodisce *Pointe*). Persaepe auctores anecdotarum (similiter ac inventores facetiarum) sunt ignoti. Sed auctores anecdotarum artificiosarum theodisce scribentes illustrissimi sunt *Johann Peter Hebel* et *Heinrich von Kleist*. Nostrae autem aetatis auctor huius generis notissimus est *Eyk Schreiber*.

Verbum anécdotae (Graece ἀνέκδοτος est i.q. ‚non editus‘) originaliter fuit titulus cuiusdam operis a Procopio historico Byzantino (6.saec.) scripti, in quo auctor attulit rumores de flagitiis Imperatoris Imperatricisque auditos. Scilicet Procopius scriptor aulicus ipse non ausus erat idem opus édere. Itaque „Anecdota“ Procopii post eius mortem demum sunt édita. Forma verbi originaliter Graeca est pluralis neutri generis. Sed nos verbum latinizatum adhibeamus formâ singulari feminini generis (anécdota sc. fabula, narratiuncula vel sim.).

De Kleistiana „Anécdotâ rei proximo bello Borussico gestae“

Anécdota, cuius versio Latina in disco compacto nostro praebetur, a.1810 scripta est. Res autem, quae narratur, fit tempore bellorum contra Napoleonem gestorum. Borussorum autem exercitus d.14. m.Oct. a.1806 prope *Jena* et *Auerstädt* a militibus Napoleonis cladem accepit exitiosam. Kleist, ut erat Borussus militum praefectus patriae amantissimus, cum perlegeret quendam librum rerum memorabilium collectarum, incitatus est, ut scriberet hanc narratiunculam. Qui liber Lipsiae a.1807 editus inscribitur „*Sammlung von Anekdoten und Charakterzügen aus den beiden merkwürdigen Kriegen in Süd- und Norddeutschland 1805, 1806 und 1807*“, i.e. „Collectanea rerum morumque memorabilium, qui innotuerunt ambobus bellis a.1805, 1806, 1807 in Germania australi et boreali gestis“.